

Claudianea.

Rapt. Proserp. I 1 sqq. Ieepius ita exhibet:
Inferni raptoris equos afflataque curru
Sidera Taenario caligantesque profundae
Iunonis thalamos audaci promere cantu
Mens congesta iubet. gressus removete, profani.
Iam furor humanos nostro de pectore sensus
Expulit et solum spirant praecordia Phoebum.

In quibus illa 'mens congesta' servata esse non possum non mirari. Quis enim, quaeso, collatis eiusmodi locis, ubi dicuntur 'collecti' esse sensus vel homo in se 'recondi' vel dissipatas animi partes 'cogere', hunc locum defendat, ubi furor poetarum sit describendus? Nec defuerunt qui mederi studerent velut cum 'mens concepta' vel 'coniecta' vel 'concussa' vel denique 'incensa' conicerent. — At mirum in modum interpretes quantum vidi omnes Vossiani scripturam neglexerunt, quem saepe optima habere satis constat. Velut versu 70 sq. omnia nisi fallor rectissime procedunt ex cod. Voss. scriptura hac:

Cum gravis armatur Boreas glacieque nivali
Hispidus et gelida concretus grandine pennas

Disrumpit, pelagus silvas camposque sonoro

Flamine rapturus e. q. s.

Egregie poeta Boream pennas glacie concretas diducentem disrumpentemque effinxit. Ut autem hoc loco Vossianus succurrit, ita istos quoque versus Vossiani vestigia sequentem puto me posse emendare: in quo cum traditum sit 'mens augusta', quod cave ne defendas loco Ovidiano (Met. XV 145) 'augustae reserabo Oracula mentis' — vix enim credibile est idem sibi attribuisse Claudianum quod Ovidius Pythagorae attribuerat — locum sic scribendum propono: '*Musa augusta* iubet' e. q. s. Versu sexto cum libris *totum* retinendum duco collatis Horatii verbis (Carm. I 19, 9) 'in me *tota* ruens Venus'.

Ibidem I 100 Pluto Mercurium iubet haec inter alia Iovi reddere:

Nonne satis visum grati quod luminis expers

Tertia supremae patior dispendia sortis

Informesque plagas, cum te laetissimus ornet

Signifer et vario cingant splendore triones?

'Dispendia' vario modo temptaverunt docti: '*sic praemia*' coniecit Baehrensius, Ieepius '*stipendia*'. Mihi contra dispendia defendi posse videtur collatis locis Claudianeis XXVII 120 et XXVIII 452. Sed quid esse dicam '*tertia dispendia sortis supremae*'? In quibus iure opinor offendisse Goetzium (Philol. Anzeiger VII p. 144), ubi *tristia* pro *tertia* coniecit. Sed nescio an propius ad librorum memoriam accedam *tetrica* scribendo, quae vox saepius apud Claudianum exstat. Cf. XIV 31 et XXII 275.

Ibidem II 23 sq.:

Caelatum Typhona gerit, qui summa peremptus

Ima parte viget moriens et parte superstes.

Ita Vossianus; 'qui *parte* peremptus' Laurentianus exhibet. Quem locum cum glossis esse maculatum dicat Baehrensius (Ien. Litteraturz. 1875 p. 131), sic potius emaculandum iudico:

Caelatum Typhona gerit, qui summa peremptus

Ima viget, *parte emoriens* et parte superstes.

F. Gustafsson Helsingforsiensis.